









2

Defektes Exemplar; es fehlt P. IV.





# BIBLIOTHECÆ ARABICÆ

P. III.

DEO JUVANTE  
P R Æ S I D E  
**CHRISTIANO FRIDERICO  
SCHNURRER**

LITT. GR. ET ORIENTAL. PROF. P. O.  
ET DUCALIS STIPENDII THEOLOGICI EPHORO  
ORD. PHILOSOPH. DECANO  
PRO OBTINENDIS MAGISTERII PHILOSOPHICI HONORIBUS  
DIEBUS            AUGUSTI MDCCCLXII.

PUBLICE DEFENDET  
**CAROLUS AUGUSTUS SCHLOTTERBECK**  
UNTER OEWISHEIMENSIS

SERENISSIMI STIPENDIARIUS ET MAGISTERII PHILOSOPHICI  
CANDIDATUS.



TUBINGAE LITTERIS HOPFFERIANIS.



**T**ribus abhinc annis, consilio capto de Bibliothecæ arabicæ specimine edendo, placuit initium facere ab enumerandis scriptis historici geographicique argumenti, quod grammaticas, lexica, aliaque hujus generis noscere qui vellet, posset uti libro, in Anglia 1796. edito, inscripto: a Catalogue . . . by William Marsden. Nec est, cur istius instituti magnopere nos pœniteat. Enimvero nunc, cum cognitum habemus compertumque, libri copiam fieri haud posse, cuius exempla non nisi sexaginta typis describi voluerit auctor, nec prorsus nulla nobis suppeteret, quæ vel addi subinde queant, vel tradi rectius; videtur non abstinendum nobis esse ab enarrandis scriptis etiam grammaticis. In commemorandis vero illis ita versabimur, ut temporis ordinem sequamur, singulorumque librorum inscriptioni nonnihil, quod alienum non sit, adspergamus. Quæ prætermissa sunt in Catalogo Marsdeniano, nota \* præfixa ab aliis distinguimus.

A 2



1. *Olai Celsii historia linguae et eruditionis Arabum, disputatione proposita praeside Gustavo Peringerio Lilljeblad. OO. LL. professore, d. 7 Nov. 1694. Upsaliæ. 8.*

Iterum edidit Nicol. Barkey in Bibliothecæ Bremensis novæ class. IV. fascic. 1. 2. 3. Bremæ 1764. Absolvitur capitibus sex: 1. de ortu linguae arabicæ. 2. de fatis illius ante Muhammedem. 3. de fatis ejus sub Muhammedo et imperatoribus Muslimicis. 4. de fatis ejus sub Turcis et Tartaris. 5. de fatis illius inter Europæos. 6. de usu linguae arabicæ in variis disciplinis. Celsius natus est 19. Jul. 1670. mortuus 1756. Oratio funebris, quam in illius memoriam habuit Jo. Ihre, Upsaliæ, iterum edita est Biblioth. Bremensis novæ class. III. fasc. 3.

2. *Dissertatio de historia linguae arabicæ, quam praeside Jo. Henr. Michaelis pro honoribus magistri philosoph. impletandis habuit Christianus Benedictus Michaelis. 1706. Halæ. 4. pagg. 40.*

Arctioris hæc, quam illa, argumenti tractatio in antiquiore historia subsistit, recentiorem haud persequitur.

*Jo. Christiani Clodii diss. de caussis contemtus linguae arabicæ. Lipsiæ 1724. 4.*

Sic refert Saxius, Onomast. part. VII. in Analectis pag. 709. Est penes nos Schediasma, quo institutum suum de edendis Ephemer. orientalibus et aliis nonnullis philologicis (omissa est vox: exponit) simulque de contemtu linguarum orientalium et ejus causis disserit Joannes Christianus Clodius, Jur. et Lingg. cultor. Misenæ (abque anni indicio) 4. plag. 1 $\frac{1}{2}$ .

\* 3. *Henr. Alb. Schultens* oratio de studio Belgarum in literis arabicis excolendis habita Kal. Mart. 1779. quum ordinariam linguarum orient. et antiquitatum judaicarum professionem in academia Batava auspicaretur. Lugd. Bat. 1779. 4. pagg. 47.

Elegans oratio et grata ad legendum, sed argumentum nonnisi summatim exponit, oratoris more magis quam historici.

\* 4. *Dissertatio academica de fatis linguae arabicæ*. Pars prior, præside *Mathia Norberg* — in lyceo Carolino d. XVIII. Dec. 1790. Lundæ. 4. pagg. 16.

Pars posterior, præside *Math. Norberg* — in lyceo Carolo d. V. Dec. 1792. Lundæ. 4. pagg. 17.

De indole magis atque ingenio arabicæ linguae agit hæc dissertatio quam de ejusdem fatis.

---

\* 5. *Thomæ Erpenii* oratio de lingua arabica. Leidæ, 1613. 4.

Habita est XIV Maji 1613. cum arabicæ et aliarum præter hebraicam, hanc enim Coddæus profitebatur, orientalium linguarum professionem auspicaretur Erpenius. Arabica commendatur ab antiquitate, amplitudine, elegantia, utilitate. vid. num. 7.

\* 6. *Joan - Melchioris Maderi* oratio pro lingua arabica; dicta Augustæ Vindelicorum in collegi Annæi auditorio majori; mense Octobri, anno 1617. ex officina Davidis Franci. 4. plagg. 3.

Ad excitandos, qui ipso duce ad arabicas litteras accedant, orationem hanc instituit Maderus, copiosam illam quidem, sed paulo jactantiorem, nec semper satis gravem. — Gabrielem Sionitam et Joannem Hesronitam, Maronitas, dicit “præceptores suos fidelissimos”, Petrum Kirstenium “amicum



singularem", et Erpenium "nunquam sine honoris mentione nominandum præceptorem." vid. num. 47.

7. *Thomæ Erpenii orationes tres, de linguarum Ebrææ atque Arabicæ dignitate.* Leidæ, ex typographia auctoris. 1621. 12. pagg. 132.

Prima est illa (num. 5.) habita 1613. Sequitur pag. 39. altera oratio de lingua arabica, habita ab Erpenio 5. Nov. 1620. cum e secundo suo itinere Gallicano reversus rediret ad prælectiones suas ordinarias. Tertia, pag. 97. de lingua Ebræa, habita 27. Sept. 1620. cum ejusdem nunc quoque professio-  
nem auspicaretur.

\* 8. *Nox Cygnea exhibens dissertationem in laudem linguae arabicæ a Vito Wolfrum D. et Superintendentे.* Recita-  
batur 2. Decembr. anni Christi 1623. in schola Zwickaviensi.  
— — Addita est sub finem epistola auctoris ad amicum qua-  
ratio redditur suscepti hujus studii arabici. Unacum appen-  
dice judiciorum aliorum præstantium virorum. Lipsiæ 1625.  
4. pagg. 76.

Non, ut refert Lelong, Bibliothecæ sacræ (Paris 1723. fol. pag. 115.) Vox, sed Nox inscripta est hæc dissertatio, "quia inquit auctor, propter diurnas occupationes nocte maximam partem est exarata." Ex præmissa ad senatum urbicum epi-  
stola intelligitur, fuisse tum plures scholæ alumnos, qui ara-  
bicæ linguae amore et desiderio imbuti, ejus lectionem pu-  
blicam aperiri petierint, nec difficulter id sint consecuti. —  
Inter alia, quæ contra hoc litterarum genus dicantur, veluti:  
esse scripturam Arabum valde ineptam et monstrosam, hor-  
rendum esse dicendi genus, Lutherum non fuisse Arabi-  
cum etc. cum referatur quoque hoc: "ipsum Wilhelmum Hol-  
derum, virum et theologum optimum, in Mure exenterato  
pag. 2. in Pistorio damnare", placet faceti nostri theologi jo-

cosa verba recitare. Ita vero ille, sumta Fratris ex Ordine Minorum persona, in Prologo ad Jo. Pistorium: "Georgius noster de Tonstrina, Viennensis ille, (Georgium Scheerer pungit) est quidem etiam bonus linguista. — — Vos autem domine gloriose, estis in Germanicarum, Latinarum, Græcarum, Hebraicarum, Chaldaicarum, Syriacarum, et (ut audio) in nArrabicarum, sicut satis patet ex Thesibus vestris Catholicis, et aliis scriptis." — Commendatur autem arabica lingua primo ob frequentes variasque voces et in vitæ usu et in scientiis multis obvias, deinde ob subsidia theologiae ab ea paranda, quod faciat ad ἐξηγησιν f. explicationem, ad πατρισμένην f. confirmationem, ad ἀναπονεύην f. refutationem, postremo de necessitate, facilitate, suavitate linguae disseritur. — Ex litteris auctoris ad amicum, de occasione et consilio suscepti arabicæ linguae studii, cognoscimus, ipsum in arabicis litteris magistro usum esse Jo. Zechendorffio, haud incelebri scholæ Cygneæ rectore, cujus etiam breve carmen arabicum, tabulæ incisum, subjunctum est.

\* 9. Literæ exoticæ scriptæ arabice a Jo. Elichmanno Sillesio Medicinæ doctore ad M. Jo. Zechendorff, scholæ Cygneæ rectorem, et linguarum orientalium cultorem observantiss. ab eodem in literas hebræas conversæ, punctatæ, et *marra ποδα* ferme ad verbum in latinum versæ, commodo atque usui discentis juventutis, unde, quot quippe centeni omnigenū autorum, et artium libri sibi, et rei literariæ bono adhuc cum Deo et die, brevi Doctorum undique subadjuvarum ope et opera, quia antea nondum visi, exspectandi, legendi, cognoscendi: perspiciat, publici juris factæ. Jenæ 1636. 4.  
2 plagg.

Litteræ scriptæ sunt 2. Febr. 1631. Genus dicendi arabicum haud malum, sed latina versio impedita, et passim aliena. Elichmanni opera extat quoque Tabula Cebetis græce, arabi-

ce, latine — post illius obitum edita cum præfatione Cl. Salmasii. Lugd. Bat. 1640. 4.

\* 10. *Thomæ Gravii oratio de linguae arabicæ utilitate et præstantia habita Oxonii 19. Jul. 1637. edita, teste Lelong, loc. cit. pag. 1194. Oxonii 1639. 4.*

Thomas Greaves, Johannis, qui partem Geographiæ Abulfedæ edidit arabice et latine, frater, ad tradendas Oxonii arabicas litteras anno 1637 suffectus in locum Edw. Pocockii, dum hic per alterum iter orientale abesset ab academia, obiit 22. Maj. 1676. germano diu superstes. Ejusdem sunt Annotationes quædam in Persicam interpretationem Evangeliorum, editæ in Bibliorum Polyglott. Londinens. Tom. VI.

\* 11. *Oratio in Scholis theologicis habita ab Edmundo Castello S. T. D. et linguae arabicæ in academia Cantabrigiensi professore, cum prælectiones suas in secundum Canonis Avicennæ librum auspicaretur, quibus via præstruitur ex scriptoribus orientalibus ad clarius ac dilucidius enarrandam Botanologicam S. S. Scripturæ partem, opus a nemine adhuc tentatum. Londini 1657. 4. pagg. 40.*

Inscripta est Thomæ Adams, civitatis Londinensis senatori, cuius privatis sumtibus brevi antea institutum fuit in academia Cantabrigiensi munus publice tradendi litteras arabicas, quod tum legitime primus capessivit Castellus. Tota igitur tractatio versatur in commendanda lingua arabica, hac maxime ratione, ut omissis, quæ universe dici poterant, singulatim et arabica Avicennæ vocabula haud pauca expediantur, et hebraici loci ex arabicis illustrentur. Castellus, Lexici Heptaglotti opere celebris, natus 1606. demum anno 1663 doctrinæ suæ præmium aliquod tulit, sacrorum antistes factus in tenui et obscuero vico, Higham - Gobion, in Bedfordshire, ubi nunc latet sepulchrum viri de litteris orientalibus



talibus præclare meriti, defuncti anno ætatis sexagesimo octavo.

*Cellarii usus Arabismi etymologicus.* Cizæ 1678. 4.

Sic Marsden refert, at separatim editum librum esse vix crediderim. Cellarii *Sciagraphia philologiae sacræ*, iterum edita 1678. 4. adjunctum habet Usum Arabismi etymologicum, sive Radices, quæ in ebræa lingua hodie desiderantur, ex arabica, aliisque orientalibus linguis restitutas, pag. 47--70.

\* 12. *Fructus linguæ arabicæ*, dissertatione philologica in Alma Lipsiensi ostendit d. VII Decembr. 1692 M. Joh. Dav. Schiefferdecker. 4. plagg. 3. Iterum edita est ab auctore hæc dissertatio unacum Nucleo institutionum arabicarum. 1695. 8.

Christ. Bened. Michaelis in *Historia ling. arabicæ* pag. 29. "Etiam Pocockius, inquit, de ubertate linguæ arabicæ peculiarem habuit orationem, ex qua decerpta quædam videri possint in Schiefferdeckeri diss. de *Fructu ling. arab.* §. 5." De secunda editione dictum hoc putes. In prima non videtur Pocockii oratione, præfixa Carmini Tograi, Oxon. 1661. 8. usus esse Schiefferdecker. Etenim ad probandam vocum copiam hoc utitur §. 5. quod in Golii Lexico unica vox: infotunium ab Arabibus fere sexagies exprimatur; Pocockii autem asserto non utitur, perhibentis, a grammatico quodam leonis quingentas, serpentis ducentas appellations diversas suis collectas.

\* 13. *Rod. Mart. Meelführeri panegyricus de utilitate linguae arabicæ.* Giessæ 1697. 4.

Lelong refert loc. cit. pag. 1194. alibi ne titulus quidem unquam visus.

\* 14. *Alberti Schultens* dissertatio theologico - philologica de utilitate linguæ arabicæ in interpretanda S. Scriptura, sub præsidio Jo. Braunii publice defensa Groningæ die 20 Januar. 1706 (non 1704. ut ipsius Schultensii vetus et regia via hebraizandi pag. 15 typis expressum habet.) 4.

Primus Schultensianæ doctrinæ fructus est hæc dissertatio academica; eandem exhibent quoque Alb. Schultens Opera minora. Lugd. Bat. 1764. 4. pag. 487 — 510. Auctor, nonnulla præfatus hæc scripsit: "Usus autem arabicæ linguæ tam late diffusus patet, quippe qui ad nullum non eruditioñis genus se extendat, ut justum volumen digna ejus argumenti pertractatio requirat; unde ne dissertationis academicæ limites excederem, tantum ejusdem in vertenda s. scriptura utilitatem et necessitatem ostendendam mihi elegi, exemplis aliquot luculentis, subsidiis linguæ arabicæ explicando loca obscuriora et intricatoria, de quorum vero et genuino sensu apud interpretes nondum constat." Sequuntur itaque promiscua serie librorum vet. Test. loca complura, ex arabico sermone illustrata, quorum plurima, paucis exceptis, recurrent in Animadversionibus in Jobum, Ultrajecti 1708. 8. editis, et in Animadversionibus ad varia loca vet. Test. Amstelod. 1709. 8. quæ bina opuscula et ipsa partem efficiunt voluminis, inscripti: Alb. Schultens Opera minora. —

\* 15. *Jo. Abrahami Kromayeri* בָּתְּמִילְדָה לְאַמְּ filia matri obstetricans, h. e. de usu linguæ arabicæ in addiscenda ebræa, et explicanda scriptura s. libelli duo: quorum prior usum illum, præceptis perspicuis, et exemplis selectis, in genere tradit: posterior seorsim in libro Jobi, ac singulis ejus capitibus, hæc ita applicat, ut, præter restitutionem radicum, et significationum deperditarum, voces et phrases rariores explacentur, adeoque loca difficillima, frustra huc usque ab interpretibus tentata, maximam partem expediantur, ut supple-

mentum omnium commentariorum in Jobum hic libellus esse possit, et linguæ arabicæ ignaris quoque inserviat. Francof. et Lipsiæ. Sumtibus hæredum Joh. Grossii. 1707. 4. pagg. 230.

Eundem hunc librum, celato vero auctore et ademtis, quæ inscriptionem exhibent et præfationem, foliis primis, adjunctum sibi et quasi insertum habet Theoria et praxis linguae arabicæ — opera Joh. Christiani Clodii. Lipsiæ 1729. 4.

\* 16. De usu linguæ arabicæ in lectione Rabbinorum dissertationem præside M. Joh. Hagero publice exp. Joh. Georg. Kirschnerus. Vitembergæ 1717. 4. pagg. 16.

Inscriptioni haud respondet tractatio: absolvitur hæc commemorandis nonnullis Rabbinorum locis, quibus ad declarandum sermonem ebraicum adhibita est dialectus arabica.

\* 17. Jo. Chr. Clodii schediasma gratulatorium ad Bern. Gualth. Marpergerum de usu linguæ arab. etymologico in exegesi sacra. Lipsiæ 1724. 4.

Saxius refert, Onomast. P. VI. in Analectis pag. 709. et in Actis Erudit. Lips. ann. 1730. pag. 417. recensentur Jo. Chr. Clodii, P. P. ling. arab. Epistolæ duæ, quarum altera ad f. r. D. Marpergerum, de linguae arabicæ etymologico usu in exegesi sacra, altera ad f. r. D. Lœscherum, de nominibus Jesu Christi et Mariæ arabicis, data fuit. Lips. literis Takkianis, 1729. 4. plagg. 4. Epistola ad Lœscherum prodiérat ann. 1725. Accessit ann. 1729 inscriptio nova, quæ utramque complecteretur, redderetque vendibilem.

18. Alberti Schultens oratio de linguae arabicæ antiquissima origine, intima ac sororia cum lingua hebræa affinitate, nullicus seculis præflorata puritate, habita quum fasces academicos iterum deponeret Kal. Junii 1729. Franequeræ 1729. 4. pagg. 40.

19. *Eiusdem oratio altera de linguae arabicæ antiquissima origine, intima — — habita a. d. 20. Jun. 1732. quum ordinariam LL. orientalium professionem in illustri Batavorum academia quæ Lugduni est solenni ritu auspicaretur.* Lugd. Bat. 1732. 4. pagg. 28.

*Utraque iterum edita est in Schultensii Originibus hebræis — Lugd. Bat. 1761. 4. pag. 615 — 648.*

\* 20. *De antiquitate, elegantia, utilitate, linguae arabicæ oratio habita Oxonii in schola linguarum, VII Kal. Augusti, 1738. a Thoma Hunt, A. M. ex aula cervina, lingue arabicæ professore.* Oxonii, 1739. 4. pagg. 56.

*Gravis atque elegans bonæque frugis plena recitatio, copiosa cum primis in utilitate arabicæ lingue probanda ex multitudine operum varii argumenti, historici, geographici, mathematici, medici, arabice vel perscriptorum vel ex græco conversorum.*

21. *Ant. Noach. Polier dissertatione philologica de puritate dialecti arabicæ, comparatè cum puritate dialecti hebrææ, in relatione ad antediluvianam linguam, præside Alb. Schultens.* Leidæ 1739. 4.

*Quod auctor probare suscepit, est hoc: Dialectus arabicus puriorem et antiquiorem formam lingue antediluvianæ distinctius obtinet, quam hebraica. — Iterum edita est hæc dissertatione in Sylloge dissertationum philologico - exeget. a diversis auctoribus editarum sub præsidio A. Schultens, J. J. Schultens, et N. G. Schröeder defensarum, P. I. Leidæ et Leovardiæ, 1772. 4. pag. 237 — 261.*

22. *Joh. Ratelband dissertatione philologica de convenientia admirabili dialecti arabicæ cum hebræa in universo lingue ambitu.* Præside A. Schultens. Leidæ 1740. 4.



Etiam hæc repetita est loc. modo dicto, pag. 265 — 328. Capite quinto, extremo, proposita est Korani sura I arabice, èademque hebraice conversa et per singulas voces utriusque sermonis convenientia multis verbis declarata.

\* 23. *Nic. Guil. Schroederi*, A. L. M. et Phil. D. programma academicum de antiqua linguae arabicæ origine, et hinc fluente intima ejus cum hebraea consanguinitate, quo — commilitones φιλογλωττες ad audiendas lectiones in linguas orientales invitati. Marburgi Cattorum. 1743. 4. pagg. 8.

Paucarum quidem paginarum scriptio, at digna quæ memoretur ob permagnam, quam deinceps in his litteris consecutus est Schröderus, auctoritatem.

\* 24. *Caroli Aurivillii* disputatio de usu dialecti arabicæ in indaganda vocum hebraicarum significatione propria. Upsaliæ 1747. 4.

Iterum edita et primo loco posita est, pag. 1 — 40 in libro inscripto: *Caroli Aurivillii*, professoris linguarum orientalium Upsaliensis, dissertationes ad sacras literas et philologiam orientalem pertinentes, cum præfatione Jo. Dav. Michaelis. Götting. 1790. 8. De auctoris vita ex Floderi oratione parentali, Upsal. 1736 habita retulit Michaelis, Nov. Biblioth. P. V. pag. 72 — 88.

\* 25. De usu dialectorum orientalium, ac præcipue arabicæ, in hebraico codice interpretando, oratio habita Oxonii, in schola linguarum, VII Kalend. Martii, 1748. a *Thoma Hunt*, S. T. P. Aedis Christi Canonico, linguæ hebraicæ professore regio, linguæ arabicæ prælectore Laudiano, et R. S. S. Oxoni, 1748. 4. pagg. 34.

Esse exempla, quæ præ se ferant: *Lugduni Batav. apud Joan. Luzac*, 1749. docet Sammlung von alten und neuen

theologischen Sachen, auf das Jahr 1749 pag. 275. ubi per errorem dicitur Huntius Cantabrigia evocatus Oxonium. Versatur hæc oratio fere omnis in laudanda Ed. Pocockii doctrina, meritisque celebrandis.

\* 26. *Car. Frid. Bahrdt de usu linguae arabicæ ex comparatione cum hebræa.* Lips. 1758. 4. pagg. 24.

Leve opusculum, tirone vix dignum dicitur in Götting. Anzeigen von gelehrten Sachen, 1758. pag. 268. sq.

\* 27. *Invitatio ad lectiones philosophicas et philologicas facta a M. Christiano Henr. Vogel,* simul suppeditantur momenta quædam theologie studiosum ad descendam linguam arabicam excitantia. Erfordiæ 1758. 4. pagg. 20.

Vid. loco proxime dicto, pag. 1191.

\* 28. *De utilitate linguae arabicæ in defendendis nonnullis locis תְּהִיא specimen primum,* auctore M. *Just. Frid. Fro- riep,* Lubecens. Lipsiæ 1767. 4. pagg. 27.

Sunt nonnisi quinque loca, quorum lectio in textu scripta contra Houbigantium, marginalis lectionis patronum, defenditur petenda ex arabica dialecto significatione, veluti Ezech. XXV. 7 lectio לְבָב redditur: *in occisionem*, quod arabicum בַּבָּא sit *confondere hasta*.

29. *M. Jos. Friedr. Schelling's Abhandlung von dem Gebrauch der arabischen Sprache zu einer gründlicheren Einsicht in die Hebræische.* Stuttgart 1771. 8. pagg. 142.

Vid. Ernesti theolog. Bibliothek, I Vol. P. 6. pag. 564. Michaelis oriental. u. exeget. Bibliothek, P. I. pag. 123. Illis, qui ad tractandas hasce litteras accedant, maxime proficuum

esse hunc librum, recte statuit ven. Seiler, Bibl. Hermenevitik, Erlang. 1800. pag. 94.

\* 30. De utilitate linguæ arabicæ, in studiis theologicis, oratio; habita Oxonii, in schola linguarum, VII. Id. April. 1775. auctore *Josepho White*, A. M. Collegii Wadhami socio, et linguæ arabicæ professore Laudiano. Oxonii 1776. 4. pagg. 27.

Summa orationis est hæc: in tractandis sacris vet. testamenti scriptis duplicem usum habere linguam arabicam, Criticum non minus quam Exegeticum. Et ille quidem declaratur quibusdam speciminibus sane haud ineptis: hic autem probatur maxime auctoritate atque exemplo cum Judæorum quorundam, qui quod arabicum sermonem haberent vernaculum, testes omnino graves dici haberique debent, tum aliorum, Pocockii, Bocharti, Celsii, Schultensii, Huntii, Schröderi, virorum utriusque linguæ peritissimorum.

\* 31. Commentatio de eo quod nimium est circa studium linguam hebraicam ex arabica illustrandi, auctore *Joh. Georg. Trendelenburg*, Gr. et OO. LL. P.P. O. Athenæi Gedanensis. Regiomonti 1780. 4. pagg. 43.

Tribus sectionibus absolvitur. I. Abutuntur lingua arabica, qui in vocibus hebræis cum arabicis conferendis ne quoad literas quidem et elementa recte versantur. II. Nimii sunt in studio linguam hebraicam ex arabica illustrandi, qui quamvis vocum collationem quoad elementa bene instituant, tamen vocibus hebraicis plus quam iis inest, ex arabica dialecto tribuunt. III. Nimii sunt, qui arabicam linguam solam conferrunt, nihil fere ceteris vetus Test. interpretandi subsidiis tribuunt.

\* 32. De usu linguæ arabicæ in rebus vitæ communis, disputatio, præside *Hasse*. Regiomonti 1791. 4. pagg. 16.



\* 33. *Dissertatio philologica de necessitate et utilitate linguae arabicæ cum reliquis dialectis, auct. Erico Hedendahl.*  
Upsaliæ 1791.

vid. de utraque Eichhorn Allgem. Bibliothek. Vol.  
VIII. P. 4. pag. 734.

34. Arte para ligeramente saber la lingua araviga.  
Vocabulista aravigo en letra castellana. Granada 1505. 4.

Sunt duo opera, separatim edita, nec semper conjuncta. Vocabularii bina exempla, quibus Grammatica haud juncta est, servat bibliotheca nationis Gallicæ Parisina. Quæ Simon Assemani, in Catalogo de' codici manoscritti orientali della biblioteca Naniana, — Part. I. in Padova 1787. 4. pag. 3. ex Grammatica recitat, extrema verba, non Grammaticæ sunt, sed Vocabularii. Significat illis auctor, Petrus de Alcalá, ordinis S. Hieronymi monachus et Ferdinandus de Talavera, Archiepiscopo Granatensi, a confessionibus, opus suum ab se confectum esse Granatæ 1501. excudendi autem finem factum in eadem urbe anno 1505. Februario die 5 in officina Joh. Valera de Salamanca. Et Vocabularium quidem est 34 quaternionum, ex Occidentalium usu disporitorum, qui singuli sunt pagg. 16. præter ultimum, qui non est nisi 12 pagg. Arabica omnia sunt Castilianis litteris redita; arabicis litteris ئ ؽ respondent hæ: c, h, a (impositâ figurâ, quæ Hamza dicitur,) veluti in his:

Diuino o adeuino. Dārib al corāā. daribin al corāā. Grammaticæ juncta esse *prima rudimenta doctrinae christianæ at usum parochorum et catechistarum*, qui velint Mauris in regno Granatensi ad christiana sacra convertendis operam dare, refert Campománes in *Discurso preliminar* pag. XVI. ad Dictionario

Diccionario Español Latino - Arabigo compuesto por Franc. Cañes. Madrid. 1787. fol. Hoc ea propter tenendum, ne forte ex dicto aliquo in Catalogo centur. libror. rariss. MS. et partim impressorum Arab. Pers. Turc. Græc. Latinorum, qua 1705 bibliothecam publicam Acad. Upsaliensis auxit Jo. Gabr. Sparvenfeld. Upsal. 1706. 4. colligat aliquis, extare ejusmodi aliquem Catechismum in Hispania seorsim editum. Locum refert volumen IV. operis, Notices et Extraits des MSS — pag. 623. “L'auteur de ce Catalogue assure, que Sparvenfeld possédoit *un Catechisme de la religion chretienne, une grammaire et un dictionnaire de la langue arabe, imprimés en Espagne en langue arabe, mais en caracteres gothiques*”. — In hisce quis non videat Petri de Alcala opus illud singulare, sui generis primum atque unicum? Clement, Bibliotheque curieuse historique et critique, T. I. Götting. 1750. pag. 137. quem teste abhabet Panzerus, Annal. typograph. Vol. VII. 1799. pag. 64. perpauca suppeditat, et fallitur in ipsa libri forma significanda. Audiendus quoque Th. Chr. Tychsen, Neu. Repertor. Part. III. pag. 262.

35. Grammatica Arabica. *Guilielmus Postellus* Lectori.  
Ne quid nostri consilii ignores candide lector, quum characte-  
rum difficultate in sculptis tabulis, multos esse perterritos vi-  
derem, quod essent difficiles et male formati, volui loco illorum  
quaternionum hic inserere grammaticam typis excussam (*sic*),  
ut quos difficultate abegerat, facilitate et pulchritudine revo-  
cet. Vale. Venæunt (*sic*) Parisiis apud Petrum Gromorsum —  
4. pagg. 44. absque anni indicio. (ann. 1538. f. 1539.)

Verba ad lectorem in fronte libri posita quo sensu acci-  
pienda sint, videoas in Nouveaux éclaircissements sur la vie  
et les ouvrages de Guillaume Postel; par le Pere des Billons,  
de la compagnie de Jesus. à Liege, 1733. 8. pag. 112. sq.  
Dicta sunt hoc consilio, ut qui alio Postelli libro, inscripto:

C



Linguarum duodecim characteribus differentium Alphabetum — — Paris. mense Martio 1538. 4. uterentur, intelligerent, Alphabeti partem efficere, ipsique medio inserendam esse hanc grammaticam arabicam. At separatim quoque illa subinde deprehenditur; nam et præfationem suam habet, et est inscripta Joanni Olivario, episcopo Andegavensi. Extremo libri loco posita est, arabice et latine, Dominica Oratio, nec non Korani Sura prima. De typis arabicis sic statuit de Guignes, Notices et Extraits — — T. I. pag. XV. “Quant aux Caractères arabes, on y aperçoit la naissance et l'imperfection de l'art, et je ne sais si dans un text suivi, il seroit bien facile de les lire tant ils sont desfigurés.”

36. Alphabetum arabicum cum isagoge scribendi legendique arabice auctore M. Jacobo Christmanno Johannisbergensi. Neapoli Nemetum (Neustadt an der Hardt) impensis ac typis Matthæi Harnisch. 1582. 4. pagg. 32.

Jacobi Lelong, Biblioth. S. pag. 1195. sunt hæc: “Spey (Rutgherii) Alphabetum arabicum, in 4. Neostad. 1583. Compendium grammaticæ arabicæ, in 4. Heidelberg. 1583.” Confudit quæ distinguenda erant. Et de Rutgero Spey dicendi alias locus erit. De Christmanni autem Alphabeto copiosam relationem exhibet D. Jo. Frid. Hirt's oriental. und exeget. Bibliothek, 3 T. pag. 1 — 13. Visum est, ex litteris ad Rectorem cæterosque professores Scholæ Neustadianæ, addere hæc, 1. quod typos, quibus in exprimendis arabicis uteretur, ex ligno sculpi curavit Christmannus opera amici sui hospitisque Conr. Mareschalli, Bruntrutani. 2. quod profitetur usum se esse in discendis arabicis doctrina Francisci Junii. Sedem vero suam in palatinatu Rhenano habebat Junius (du Jon) ab anno 1567 ad annum usque 1592. primum in vico Schœnau ministerio sacro fungens, deinde Heidelbergæ et Neostadii; hinc Otterburgum missus, ad instaurandam novam ecclesiam.

Ex Otterburgo gratulatus est Christmanno de Specimine arabico litteris Kal. Apr. 1582 scriptis, et in ipso hoc libro, ut mos ferebat saeculi, vulgatis. Ipse jam Heidelbergæ dum versaretur ad adornandam unacum Imman. Tremellio novam versionem librorum vet. testam. doctrinam suam arabicam comprobaverat editis duobus opusculis, non eam, qua digna esse videntur, famam adsecutis, inscriptis illis: Sanctorum Apostolorum Acta, ex arabica translatione latine redditæ: addita obscurorum aliquot difficultumque locorum interpretatio-  
ne: per Franciscum Junium Biturigem. ex bibliotheca illustriss. principis Palatini. MDLXXVIII apud Joh. Mareschallum, Lugdunensem. — S. Pauli Apostoli ad Corinthios Epistolæ duæ, ex arabica translatione recens latinæ factæ per Franc. Junium Biturigem. ex bibliotheca illustr. principis Electoris Palatini. ib. eod. Duplex autem utriusque libelli dos est, altera, locorum aliquot difficultum explicatio, altera eaque præstan-  
tior, continua lectionis diversæ notatio. Est penes nos ex-  
emplum libri, quod ipsius Jacobi Christmanni nomen in fron-  
te adscriptum refert, habetque in marginibus calamo adscrip-  
tum sermonem arabicum integrum, haustum illum sine du-  
bio ex eodem, quo Junius usus erat, codice Palatino, et sca-  
tet per multis cum versionis latinæ, tum scholiorum critico-  
rum emendationibus. De Jac. Christmanno refert Adamus in  
Vitis germanorum Philosophorum. Junii ipsius de vita sua  
narrationem habemus, lectu dignissimam, editam primum a  
Paulo Merula, et repetitam in Opp. Franc. Junii theologicis,  
Genevæ 1607. fol. nec non in Dan. Gerdesii Scrinio antiquario  
f. Miscellis Groninganis, Tom. I. P. II. 1749. pag. 201 — 269.  
Seorsim edita est Esslingæ 1749. 8.

\* 37. Introductio in linguam arabicam conscripta a M. Bartholomaeo Radmanno academiæ Francosurtanæ professore publico. Francosurti typis exscriptis Andreas Eichorn. Anno

C 2

ulti<sup>i</sup> temporis clo<sup>lo</sup> I<sup>o</sup> II<sup>o</sup>c. 4. pagg. 32 præter præfationem.

Lelong, loc. cit. librum commemoravit his verbis: "Radtmanni (Barth.) introductio in linguam arabicam. Witten." Poterat rectiora referre ex Catalogo librorum arabicorum, qui additus est Thom. Expenii Rudimentis — Leidæ 1620. 8. ubi hæc: "Francofurti. Introductio in linguam Arabicam M. Bartholomæi Radtmanni, anno 1588. cum exercitio lectionis è Psalmo 146. Sed hic usus est characteribus manu à se pictis, satis elegantibus." Anni in fronte numerus II<sup>o</sup>c perperam positus pro x<sup>o</sup>ll. nam præfatio ad Berthold. a Mandelsovv, de colendis arabicis litteris, scripta est Calend. Novembr. Anno 1592. Refert in ea auctor, usum se esse, præter institutiones editas, opera hominis Turcici Adrianopolitani, quem ante annos 25 captum in Hungaria et deductum in aulam Brandenburg. Joachimus Fridericus in famulorum numerum receperit, et deinceps sacris christianis initiandum curaverit, novo nomine imposito Pauli Willich. Introductio ipsa non magis, quam Christmanni, ultra elementorum noscendorum et efferendorum tirocinium progreditur. Extremo loco Psalmi 146 versus septem extant arabice, e regione addita pronuntiatione litteris latinis. Arabicæ voces ac litteræ omnes calamo scriptæ ductibus nequaquam ineptis vel inconditis; quod typorum copia tūm esset per omnem Germaniam nulla. Sed hoc ipso tempore Italia, quæ jam 1514 Fani librum prestationum, et Genuæ 1516 Psalterium hebr. gr. chald. et arabicum tulit, habebat Romæ typographiam Mediceam, quæ non pauca volumina ederet arabicis typis elegantissimis perfectissimisque.

38. Alphabetum Arabicum cum licentia Superiorum. Romæ. In typographia Medicea. M. D. XCI. 4. pagg. 64.  
Pag. 2 — 31 commemorantur literæ singulæ, vocales,

signa lectionis. Sequitur pag. 31 — 60 syllabarum arabicum, addita pronuntiandi ratione. Pag. 60 — 64 subjungitur exercitatio lectionis arabicæ, et quidem oratio dominica; salutatio angelica; Ps. 112. et 116. Evang. Joh. I. 1 — 9. Præfationis quidem haud quidpiam adest: constat vero, librum editum esse cura Jo. Baptist. Raymundi, Cremonensis, qui, teste Erpenio (vid. ejus Orationes tres — pag. 74.) in Asiam profectus, ibique diu moratus, incitante Gregorio XIII Pontifice et sumtus faciente Ferdinando Mediceo, Cardinale primum, deinde magno Etruriæ duce, typographiam orientalem instituit, eamque conditam primus est moderatus. Testis est Cæsar Malanima, in Lettera del Canonico Ang. Mar. Bandini sopra i principj e progressi della Biblioteca Laurenziana, Firenze 1773. pag. 78. characteris arabici grandioris sculpendi initium factum esse d. 20 Mart. 1592. Credibile igitur, Alphabetum hoc fuisse primum fructum ex nova typographia emissum.

39. Grammatica arabica, dicta *Caphiah*, auctore filio Alhagiabi. Romæ in typographia Medicea. 1592. 4. pagg. 96.

Editio est mere arabica, facta potissimum ut Orientalibus in usum cederet. Nec tamen exempla desunt, quibus latina inscriptio præfixa est, quam recitavimus. Auctor grammaticæ Gemaleddin Abu Amru — ben Al Hageb Al Takhtazani obiit ann. Hegiræ 672. ut refert D'Herbelot, voce Hageb. pag. 419.

40. Grammatica arabica in compendium redacta, quæ vocatur *Giarrumia*, auctore Mahmeto filio Dauidis Alsanha-gii. Romæ, in typographia Medicea. 1592. 4. pagg. 12.

Eadem libri ratio, quæ proximo loco dicti est. Auctor Abu Abdallah Mohammed ben Daud Al Sanhagi natus est ann. Heg. 082. mortuus ann. 723. teste D'Herbelot, voce San-

hagi pag. 757. Annum, quo edita sit hæc grammatica, 1595 refert Lelong, loc. cit. eundem quoque dicit Steph. Evodius Assemanus, pag. 423 Catalog. Bibliothecæ Mediceæ. Florent. 1742. vid. num. 42. 49. 58.

41. Specimen characterum arabicorum officinæ Plantinianæ Franc. *Raphelengii*. Lugd. Batav. 1595. 4. pagg. 8.

Ignorat hoc specimen Lelong; quæ autem ab ipso referuntur, "Raphelengii, Franc. Tabulæ in Grammaticam arabicam," alium testem non habent, sed ad illius unius auctoritatem redeunt. Præfationis (pag. 2 et 3) sunt hæc: Quanto studio semper flagraverim Arabicis typis Chalcographiam nostram illustrandi, testes esse possunt, qui me familiariter norunt: nam cum abhinc multis annis hujus linguae studium amplexus, nihil viderim extare, quod lectores ad id incitaret, ægre ferebam, neminem facultatibus pollentem hanc rem promovere. — Romæ quidem, ait Raphelengius, ortam esse typographiam elegantissimis typis refertam, et opera arabica excusa, insignia illa ac magni momenti, cum tanta elegancia, ut ad majorem ornatum nihil addi possit — sed ea sitim Europæis adhuc rudibus non explore, quod desiderentur institutiones grammaticæ, atque Lexicon — sibi igitur visum esse hoc specimen characterum edere, sed absque punctis, operosum enim esse Arabicis literis sua puncta applicare, atque opus esse multis rebus, quæ ad id pertineant. — Pag. 4 conspiciuntur alphabetum arabicum. Sequitur pag. 5 — 8 Psalmus 50 arabice, at sine punctis, addita versione latina inter lineas. Raphelengianæ formulæ imitari quidem student Medicæas, sed multum abest, ut earum elegantiam assequantur concinnitatemque. vid. num. 44.

42. Tria specimina characterum arabicorum Petri Kirsten Vratisl. Phil. et Medic. Doctoris, oratio dominica, Ps. LI

et Corani Sura I. Cum Privilégio. Breslæ, typis arabicis ac sumptibus authoris. 1608. fol. pagg. 12.

*Petri Kirsten I Grammatices arabicæ liber I. sive Orthographia et Prosodia arabica. Cum Privilégio. Breslæ. Typis arabicis ac sumptibus authoris. 1608. fol. pagg. 105.*

*Ejusd. liber secundus Grammatices arabicæ sive Etymologia arabica. ib. 1610. fol. pagg. 41.*

*Ejusd. liber tertius Grammatices arabicæ, sive Syntaxis arabica. ib. 1610. fol. pagg. 38.*

Integras librorum inscriptiones recitat Hirt, Oriental, und exeget. Bibliothek, 3 T. pag. 18 sqq. qui copiose de illis refert, et de rebus quoque auctoris exponit. In Sueciam migrauit Kirstenius ann. 1636. obiitque Upsaliæ 1640. Arabici autem typi, quos suis impensis confici curaverat, admodum spectabiles, et Raphelengianis nonnihil præstantiores, quamnam sorte usi sint, haud constat. Credibile autem, eos dum periisse: nobis certe, præster Kirsteniana opera, aliud nunquam visum est, quod illorum quidpiam referret. Tertius Grammaticæ liber non est nisi *Al Giarumia*, ex Romana editione repetita, cum latina versione et copiosis adnotationibus grammaticis. vid. num. 40.

كتاب التصريف تأليف الشيخ الأمام 43. *Liber Tasriphi* compositio est Senis Alemami. Traditur in eo compendiosa notitia conjugationum verbi arabici. Nunc primum ad publicam utilitatem liberalitate S<sup>mi</sup>. D. N. Pauli V. P. M. Romæ impressus. Addita est duplex versio latina, ad verbum altera, et altera ad sensum cum nonnullis non minus brevibus quam necessariis declarationibus. Superiorum permissu. Ex Typographia Medicæa linguarum externarum. Anno 1610. 4. maj. pagg. 119.

Præfixa est 10. Bapt. Raymundi ad Paulum V. epistola.



scripta Romæ XVI Kal. Octob. MDCX. Paulo inscribitur liber, quod ipsi visum esset, magnum illud opus edendorum librorum orientalium, mortuo Gregorio XIII et Ferdinandō ad Hetruriæ imperium admoto, intermissam, christianæ fidei propagandæ studio, in pristinum statum revocare, constituto stipendio, quo labores ministrorum, et studia insignium virorum compensentur, quorum opera et industria necessaria sit, ut orientalium linguarum domicilium patens et cum utilitate publica conservetur. Et cum statutum fuerit, ab iis principiis inchoandum, quæ maxime necessaria sint, nempe a grammaticis institutionibus, et Dictionariis linguarum, "animum, inquit Raymundus, illico appuli ad Grammaticam hanc, cui titulus est Tasriphus, ex Arabico in Latinum sermonem transferendum, cum ab extremo usque oriente certior factus essem, hanc illic in scholis prælegi, atque iis ediscendam proponi, qui Arabicæ linguæ elementa percipere student." — Arabicus sermo non est continenter descriptus, sed singulis particulis subjungitur versio duplex, primum quæ vocem voce reddat, deinde alia minus adstricta, quæ sit ad intelligendum facilior. Usus libri unice nunc in eo positus est, ut grammaticæ artis voces formulasque arabicis magistris solennes inde queas cognoscere. Auctoris nomen est Acmetis, filii Ali, filii Masudis, cognomento Al-Maududi, sæculo Hegiræ octavo clari, teste Steph. Evod. Assemano, Biblioth. Medic. Catalog. pag. 498. qui et hoc loco, et alio pag. 415 perhibet, editionem Romanam 1610 factam esse in folio. Similiter Jos. Simon. Assemanus, Biblioth. Orient. T. I. pag. 592 scripserat: Liber Tasriph — Romæ typis Mediceis 1610 in Folio. At exemplum, quo nos utimur, est formæ quidem amplioris, sed singulæ chartæ sunt paginarum 8.

44. Francisci Raphelengii Lexicon Arabicum. Leidæ, ex officina Auctoris. 1613. 4 maj. pagg. 043 et LXVIII.

In

In Bernh. de Jenisch Commentatione de fatis linguarum orientalium, præmissa novæ editioni Lexici Meninskiani, Vienn. 1780. pag. CXI. nota (b) extant hæc: "Raphelingii (Franc.) Lexicon arabicum. Leidæ 1599. Idem cum observationibus Erpenii auctius ibidem prodit anno 1610 (sic) in 4°." Videntur hæc sumta esse ex Bibliotheca Lelongii, qui tradit: "Raphelingii (Franc.) Lexicon Arabicum in 8°. 1599. Idem cum observationibus Th. Erpenii in 4. Leidæ 1613." Sed non dubitamus, cum Brunsio, Goëtting. Bibliothek — von Stæudlin, P. IV. 1799. pag. 14. commenticiam pronuntiare, quæ hic fertur, editionem anni 1599. Certe in Præfatione, scrip-ta Lugduni Bat. Kal. Januar. ann. 1613 nomine Francisci et Justi Raphelengiorum, patre jam 1597 defuncto, haud quidquam est, quod anteriorem aliquam editionem significare possit. Contra vero vix dubitationi locum relinquunt præfationis verba hæc: "In eo dum erat (parens, ut de edendo Lexico cogitaret,) gravissima laborabat nervorum imbecillitate, aliisque languoribus ex assiduo studio, quo totam suam vitam fatigaverat, contractis: vixque opus hoc plene transcriperat; cum e vita excedens, nobis ut id in lucem emittere-mus injungeret, quod hactenus impediti, nunc tandem præstamus." — Adami etiam, Vit. German. Philosoph. Francof. 1663. pag. 425 commemorans, Raphelengium obiisse 20 Jul. 1597. addit: Lexicon illud quindecim ab obitu ipsius annis publici juris factum est. Idem refert Bayle, in Dictionnaire; uterque ex auctoritate Meursii, Athen. Batav. pag. 140. — Quem præfatio in Elencho librorum, quibus in concinnando suo lexico usus sit auctor, commemorat Thesaurum linguae arabicae Josephi Scaligeri (nunquam editum), ex apographo, quod Goëttingæ est in bibliotheca publica, enarravit Th. Chr. Tychsen, Neu. Repertorium, T. III 1791. pag. 256 — 280.

## D



Antonidis, Joann. methodica descriptio conjugationum arabicarum perfectarum. Leidæ 1613.

Hæc quidem tradidit Lelong. Aliud quodpiam libri vestigium nobis haud contigit deprehendere. Est vero penes nos D. Pauli Apostoli Epistola ad Titum arabice; cum Joannis Antonidæ Alcmariani interlinearie versione latina ad verbum. In officina Plantiniana Raphelengii, 1612. 4. Præfatus est Antonides hisce verbis: Cum in usum eorum qui in Academia Lugduno - Batava Arabicæ linguæ studio delectantur, quorum numerus non infrequens est, quorumque conatibus promovendis operam meam addicere aveo, desideretur textus aliquis Arabicæ lingua conscriptus, in quo se primis initiis exercere possent. — —

45. Grammatica arabica, quinque libris methodice explicata a Thoma Erpenio, Arabicæ, Persicæ, et cæt. linguarum orientalium in Academia Leidensi professore. Leidæ, in officina Raphelengiana, 1613. 4. pagg. 192. vid. num. 63.

Grammatica hæc, quam vere primam in Europa ortam dixeris, non modo novis subinde editionibus est repetita, sed et principatum ita nunquam non tenuit, ut permulti, maxime in Germania, arabicarum litterarum magistri, qui suo nomine institutiones edere vellent, Erpenii vestigiis insisterent, atque ab hoc duce vix discederent. Differunt inter se exempla primæ hujus editionis, non re quidem, sed specie tamen. Primo composita fuere exempla, quæ perfecte responderent formæ lexici Raphelengiani, possentque eodem cum hoc involucro conjungi. Deinde typis in aliam formam translati confecta sunt alia arctioris chartæ, quibus separatim qui vellent uti possent.

كتاب في صناعة النحوية يشتمل على 46.  
خمسة أجزاء لقنس جبرائيل الصهريوني الهذناني وشماش  
يوحنا التصريوني المارونيين

Grammatica arabica Maronitarum, in libros quinque divisa. Authoribus Gabriele Sionita Chaldaicarum, et Arabicarum literarum in Academia Parisieusi professore regio, et Joanne Hesronita, Maronitis è Libano, philosophiae, et sacræ Theologijæ D.D. Nunc primum in lucem edita, munificentia illustriss. D.D. Francisci Savary de Breves, regis christianissimi à consiliis, et serenissimi Ducis Andegavensis ejusdem regis christianiss. fratrī unici, gubernatoris. Lutetiae, ex typographia Savariana. Excudebat Hieron. Blageart etc. 1616. 4. pagg. 48.

Dedicationem libri et præfationem ad lectorem, quæ reliquas partes brevi prodituras pollicetur, excipit nova inscriptio, primo arabica, deinde latina hæc: Grammaticæ Arabicæ Maronitarum. Liber primus; in quo traduntur omnia ad rectam legendi rationem pertinentia. — At substitit opus in hac prima parte, reliquæ nunquam editæ. Typi arabici sunt minuti illi, quos in Notices et Extraits — Tom. IV. in margine adhibitos conspicias. Perturbata sunt, quæ Lelong tradidit: "Hesronitæ (Joann.) Grammatica Arabica. Eadem studio Guill. Postelli, in 8°. Unacum Gabr. Sionita, in 4. Parisiis 1616."

47. Grammatica arabica, selecta à Joanne Melchiore Madero. Augustæ Vindelicorum ex officina Dav. Franci, 1617. 4. pagg. 24.

Grammatica absolvitur paginis 19. reliquas paginas occupant carmina amicorum. Inter hos Pet. Meyderlinus, Coll. Aug. Ephorus, sympathiotam et amicum integerrimum compellat auctorem; M. Jo. Conr. Gœbelius, Pastor et Senior ad

Annam Aug. eundem dicit discipulum olim suum Adelbergomonicum. Certum vero est, Meyderlinum, nec non Goebelium, Würtenbergenses fuisse, et hunc quidem scholæ Adelbergensis monasticæ præceptorem ann. 1608—1611. Tenemus igitur Joannem Melch. Maderum, Waiblingensem, stipendiæ nostri theologici alumnum, qui 1614. a. d. 3 Mart. Magistri honores hic capessivit. Augustæ Vindel. arabicas illum litteras tradidisse, cognoscas ex brevi ad amicos præfatione, scripta Cal. Nov. 1617. ubi "Accipite, inquit — Compendium: reliqua viva voce dabo. Nam ut sine ea fructum inde quis speret, Delphinum caudâ ligabit. Regula et norma est, ad quam quoties libuerit, aptabitis omnia; non tamen, nisi me præeunte; ne molestius dediscatis, quam addiscatis. Efficiam, ne frustra sitis." — Sed putem eum privatum hominem atque hospitem fuisse Augustæ, quapropter haud mirum, effugisse et ipsum et ipsius bina opuscula diligentiam Geo. Wilh. Zapfii, in Augsburg. Bibliothek, 1795. Arabica, si nos quidquam videmus, expressa sunt figuris in ligno sculpts, sed nequaquam horridis illis ineptisve. vid. num. 6.

48. Historia Josephi Patriarchæ, ex Alcorano, arabice. Cum triplici versione latina, et scholiis Thomae Erpenii, cuius et Alphabetum Arabicum præmittitur. Leidæ, ex typographia Erpeniana linguarum orientalium. 1617. 4.

Paginis 17 ab olvitur Alphabetum. Quo consilio editum sit, ex præfatione, a. d. 8 Febr. 1617 scripta, intelligitur. "Accipite typorum meorum arabicorum Alphabetum, cum nobilioribus omnibus literarum nexibus et accidentibus; quo felicius non in meæ tantum, et Romanæ editionis libris, sed et codicibus Arabum, manu exaratis (in quibus hærere vos subinde, ob ignotos literarum ductus et nexus querebamini) versari possitis, quidquid enim ad illorum lectionem potissimum requiritur, id paucis hisce pagellis, non infeliciter mihi



videor expressisse. Cætera huc pertinentia, quæ pauca non sunt, in Grammatica nostra copiose habetis, et multo copiosius habituri aliquando estis in Thesauro nostro Grammatico." De Historia Josephi, h. e. de Korani Sura XII. cui in fine addita quoque prima, disserendi hic non est locus.

49. Grammatica arabica dicta *Giarumia*, et libellus centum Regentium cum versione latina et commentariis *Thomae Erpenii*. Leidæ, ex typographia Erpeniana linguarum orientalium. 1617. 4. pagg. 157.

In præfatione, scripta Cal. Apr. 1617. tertia hæc editio post primam Romanam (num. 40.) admodum mendosam, et secundam Kirstenii (num. 42.) in nonnullis locis ex conjectura emendatam, dicitur nunc emendatissime facta esse, ex quatuor correctissimis codicibus mstis, quorum unus solus haberet contextum accurate vocalium figuris insignitum, reliqui tres doctos etiam additos commentarios. Arabicus sermo non est continenter descriptus, sed membratim, singulisque membris addita versio, cum declarationibus grammaticis. In ipso autem limine offendit Erpenius, verba *باجروم*, nomini auctoris addita, vertens: celebris in Agjruma, arbitratus, Agjrum esse nomen loci in Mauritania; cum sint illa vertenda: notior nomine Agjrum, h. e. nomen à libro suo nactus Agjrum. — Liber de centum regentibus, inde à pag. 91. eâdem ratione tractatus. Auctoris nomen et ætas haud constat. — Cæterum notandus est error, ne cui fraudem faciat. Perhibet Assemanus, Biblioth. Medic. Catalog pag. 432. Kaphiam, Grammaticam, editam fuisse arabice et latine ex versione Thom. Erpenii in 4. Leidæ 1617. ac Parisiis 1638. 8. Secutus ille est Lelongium, qui eadem tradidit, voce: Al Hagiabi. At perperam Kaphia dicta est loco Giarumiæ; et Parisiis 1638 editus liber ipsum auctorem habet Erpenium. vid. num. 64.

50. *Thomae Erpenii Canones de literarum ع و ا apud Arabes natura et permutatione.* Leidæ, ex typographia auctoris. 1618. 4. pagg. 15.

Qui Grammaticæ lib. I. cap. 5 extant Canones separatim edidit auctor, recognitos, auctos, et in elegantem ordinem redactos.

51. *Thomae Erpenii Rudimenta linguæ arabicæ.* Accedunt ejusdem praxis grammatica; et consilium de studio arabico feliciter instituendo. Leidæ, ex typographia auctoris. 1620. 8. pagg. 184.

Parum inter se differunt Grammatica (num. 45.) et hæc Rudimenta; discrepantia omnis in eo posita, quod in his nonnulla membratim omissa; in reliquis mutatio nulla, librorum quoque et capitum ordo utrinque idem. Consilium de studio arabico faciliter instituendo, in itinere, quod subito in Galliam suscipiendum esset, scriptum, paucisque paginis absolutum, præfationis locum occupat, traditque modum, quo in his Rudimentis versandum, ac inde ad alia legenda progrediendum sit. Post pag. 184 succedit caput Corani LXIV cum versione latina inter lineas subjunctisque declarationibus grammaticis. Ad calcem additus est "Catalogus librorum arabicorum, quibus in absentia subita auctoris publico Academiæ nomine in Galliam proficiscentis, pauculos quosdam adjecit, alio characteris genere hic insignitos, G. Coddæus." Index est eorum, quæ tum typis edita exstant, nec tamen talis, in quo haud quidquam desideretur. Guil. Coddæus erat hoc tempore professor linguæ hebrææ chaldaicæque in academia Lugduno - Batava, cui modo Canones suos inscripserat Erpenius. vid. num. 56.

Barbati, Josephi, compendium grammaticæ arabicæ. 1620. fol.



Lelongii unius auctoritate librum ponimus. — In eorum numero, quos Maderus (in oratione, num. 6.) arabicas litteras quovis modo juvare perhibet, conspicitur “Barbatus, Maurus, Lovaniensis professor arabs.” Hic est, opinor, auctor libri, vulgati primum Oxonii ann. 1675. cuius nova editio inscripta est: Historia Jacobitarum, seu Coptorum, in Aegypto, Libya, Nubia, Aethiopia tota, et Cypri insulæ parte habitantium, opera Josephi Abudacni, seu Barbati, nati Memphis Aegypti metropoli, cum annotationibus Joannis Nicolai, Antiq. quondam in Academia Tübingeri professoris celeberrimi. Vulgavit nunc primum ex bibliotheca sua Siegebertus Havercampus. Lugd. B. 1740. 8. In Albo civium academicorum Altdorf. deprehenditur “1618. d. 18. Sept. Josephus Abuzacno, Arabs, natus Memphi. seu Al Cayri Aegypti.” vid. Will's Geschichte und Beschreibung der Nürnberg. Universität Altdorf. 1795. 8. pag. 141.

52. *Institutiones linguae arabicae tribus libris distributae*, in quibus uberrime quæcunque ad litteras, dictiones, et orationem attinent, explicantur. Auctore P. Franc. Martelotto Martinensi. Sacerdote, theologo Clericorum regularium minorum, jussu et liberalitate S. D. N. Pauli V. Pont. Max. nunc primum in lucem editæ. Romæ excudebat Stephanus Paulinus 1620. 4. pagg. 483.

Inscriptum est opus Paulo V. Pont. O. M. cuius singularem excitandi fovendique linguarum exterarum, cumprimis arabicae, studii voluntatem ubi prædicavit auctor, “quamobrem, inquit, omni diligentia, omnique impensa Clericorum regularium minorum Religio apostolicæ sedi summopere addicta, tanta alacritate externarum omnium linguarum studia, et præcipue arabicarum institutionum elucubrationes amplexa est, ut eas quas adhuc nemo complete, et exacte tradiderat, manuducere non dubitarit; ipseque tantum insudarim, ut per-

actis philosophiae ac theologiae studiis, omnem conatum, omnemque operam contulerim, ut Tuæ Beatitudinis mandatis, meæ religionis hortatu obtemperarem." — Præfatio indicat rationem Arabum, grammaticam universam describendi in duas partes, نَحْوٍ وَصَرْيَفٍ. Opus ipsum est trium librorum. Primus agit de litteris et elementis seu partibus dictiōnum; alter, de dictiōnibus simplicibus seu partibus orationis; et tertius, isque præcipuus, quæ in construendo sermone spectanda sint, tradit capp. 30. Libri usus in eo potissimum positus est, ut, qui elementa percepta habeat, possit inde cum artem et rationem, quam arabici magistri ipsi sequuntur in constituendis linguae suæ præceptis, tum peculiares, quibus uti solent, loquendi formulas cognoscere, quæ qui cognita non habet, fieri non potest, ut in iis, quæ vel ad Koranicæ decreta declaranda vel ad poëtarum carmina illustranda extant, voluminibus versetur expedite et cum successu.

53. Introductio ad grammaticam arabicam autore Abbatte Victorio Scialach Accurensi Maronita, sacre philosophiae ac theologiae doctore, in Romano Sapientiae gymnasio Chaldæarum et Arabicarum litterarum lectore. Romæ, apud Stephanum Paulinum. 1622. 8. pagg. 8. et 36.

Inscriptum est opusculum ill. ac rever. DD. sacræ Congregationis de propaganda fide Cardinalibus, a. d. 12 Nov. 1622. nec nisi Alphabetum et quæ ad illud spectant exhibet, unacum canticis Mariæ et Simeonis.

54. Alphabetum arabicum ad unam tabellam reductum ab Abbatte Victorio Scialach Accorensi Maronita. Romæ 1624.

Refert Catalogus librorum Jo. Jac. Schultensii. Lugd. Bat. 1780. pag. 589. vid. num. 57.

55. In-

55. *Institutiones linguae arabicae*, ex diversis arabum monumentis collectae et ad quam maximam fieri potuit brevitatem, atque ordinem revocatae, quibus addita est exercitatio grammatica in psalmum 34. Jussu S. D. N. Urbani VIII. Pontif. O. M. et sacræ Congregat. de propag. fide impressæ. auctore *Petro Metoscita* sacerdote Soc. Jesu. Romæ apud Steph. Paulinum 1624. 8. pag. 16 et 250.

Paulinus, qui typographiam curabat, librum inscripsit III. Principi Francisco Card. Barberino. Facta mentione honorifica institutæ ad libros in exteris linguis edendos officinæ, hæc ille: "Quamobrem ipse operam meam lubentissime hujusmodi libris imprimendis contuli semper, et hoc maxime tempore conferam, quo magni patrui Tui Urbani VIII eximium et singulare studium religionis longissime proferendæ non ingratis fore labores meos pollicetur. Cum igitur in libellum inciderim institutionum arabicæ linguae, occasionem arripui tanto alacrius, quanto clarius intelligebam, non mediocrem utilitatem, sacris præsertim religiosorum familiis, quibus id onus incumbit, esse allaturam ejus linguae notitiam, quæ nationum sane plurimarum usurpatione latissime patet. Autor libelli est Petrus Metoscita Societatis Jesu sacerdos; qui licet in Cypro natus, oriundus tamen è Syria, non prius græce didicit, quam arabice loqui. Atque hunc ille sermonem deinde Romæ in collegio Maronitarum (qua ex gente originem ducit) ita constanter excoluit, addita chaldaicæ atque hebraicæ dictionis peritia, ut ipsos alumnos per annos complures institueret, et in Romano Societatis ejusdem collegio arabicas publice literas professus sit." Quatuor partibus distributum est opus, 1. de nomine et figura arabicarum litterarum, 2. de partibus orationis, 3. de verbo in genere, 4. de reliquis orationis partibus. Conformata est hæc grammatica ad modum, quem arabici magistri sequuntur, sed nec satis completa, nec in omnibus exacta.

E

Abraham (Echellensis) brevis institutio linguae arabicæ.

8. Romæ 1628.

Lelong refert, loc. cit. pag. 1194. nobis, quod dicamus, non suppetit; viderint alii.

56. *Thomae Erpenii* rudimenta linguae arabicæ. — Editio altera, priore emendatior. Lugd. Bat. 1628. 8. pagg. 172.

Abest ab hac secunda editione Catalogus librorum arabicorum — num. 51. Reliqua sunt plane eadem. vid. num. 64.

57. Alphabetum arabicum. Romæ ex typographia Congregat. de Propag. Fide. 1631.

Marsden refert. Putem in folio aperto, seu ut dici solet formæ patentis. vid. num. 54. 61.

58. Grammatica arabica *Agrumia* appellata. Cum versione latina ac dilucida expositione, adm. R. P. F. *Thomae Obicini* Noniensis, dioec. Novariæ, ord. Minorum, Theologi, ac linguarum orientalium in collegio S. Petri Montis Aurei, de mandato f. Congreg. fidei propagandæ, magistri. Romæ, typis f. Congr. de prop. fide. 1631. 8. pag. 286.

Quarta hæc est ejusdem opusculi editio, vid. num. 40. 42. 49. Præfationis exordium hoc: "Grammaticam hanc — non latinitate tantum donare, sed brevi quoque commentario illustrare volui: tum quia usitatissima ac familiarissima cunctis Arabum scholis est, tum quia ut brevissima ac elegantissima, ipsis etiam philomusis Arabicis grata semper extitit. Quam quidem, dum vasta me tenerent Orientis spatia, viva ut ajunt voce a peritissimis hujus idiomatis præceptoribus, juxta verum ipsius sensum, multoties audivi, ac assiduo studio haus. Eamque nunc summa diligentia puram, nitidamque a quamplurimis mstis codicibus extrahere, ac genuinam ipsius interpretationem a multis quoque doctissimis ejus ex-



positoribus exceptam, in lucem edere, ac publicæ utilitati tradere curavi." — Contextus arabicus membratim descriptus, addita singulis membris primo versione latina, deinde expositione editoris, multo quam Erpenii copiosiore. Est autem Thomas Obicinus haud alius, quam qui diverso nonnihil nomine dicitur Thomas a Novaria. Præsto est liber, inscriptus: Thesaurus arabico-syro-latinus R. P. F. Thomæ a Novaria ord. Minorum, Theologi, ac linguarum orient. in collegio S. Petri Montis aurei, de mandato f. Congr. fidei prop. Magistri. Romæ 1636. 8. Neque vero thesaurus est, sed verius nomenclator, non quidem ordine alphabeticō sed per materias dispositus. Verus auctor est Elias Barsinæus, Metropolita Sobæ seu Nesibis, undecimo sæculo clarus vid. Biblioth. Mediceæ Catalog. pag. 420 ubi hæc: "Addita latina interpretatione edidit, suppresso licet Eliæ nomine, F. Thomas a Novaria in 8. anno Christi 1636." Quæ iisdem verbis repetita legas Bibliothecæ Vaticanæ codd. mst. Catalog. Tomo III. Romæ 159. fol. pag. 412. At non erat cur edidisse librum dicetur Thomas. Etenim epistolam ad Ant. Barbarinum, Card. et Congreg. de prop. fide præfectum præfixit Achilles Venerius, ejusdem f. Congregationis Agens, qua hæc scripsit: "Cum Thesaurus Arabico-Syro-Latinus, opus quondam R. P. Thomæ a Novaria, viri utique hac nostra tempestate linguarum orientalium, ac præcipue arabicæ, longe peritissimi, inter sacræ fidei propagandæ Congregationis codices, quorum mihi cura demandata est, obscurus, nudus, et ignotus delitesceret: indignum sane judicavi, ut tanti viri memoria simul cum vita fungeretur, qui dum in ejus compositionem incumberet, summum diem obiit, antequam expoliaretur et perficeretur. Unde occasionem nactus, cuidam discipulorum prælibati Patris defuncti, qui et ipse ex orientis finibus, ejusdemque linguæ palæstra nuper rediit, expoliendum perficiendumque tradidi, ac dein, ex mandato f. Congregationis publicæ

E 2

utilitati prelo excudi curavi." Sed negligentissime facta est editio; tam illa deformata est, mendisque typographicis obtruta, ut non possit non indignationem excitare usurpantis.

59. Thesaurus linguae arabicæ quem *Antonius Giggeius* Mediolanensis, S. Theol., et Collegii Ambrosiani Doctor ex monumentis Arabum manuscriptis, et impressis bibliothecæ Ambrosianæ eruit, concinnavit, latini juris fecit, ac in IV Volumina distribuit. Auspiciis, et liberalitate æternæ memoriarum Federici Borromæi Cardinalis, et Archiepisc. Mediol. ejusdem bibliothecæ, et Collegii Ambrosiaui institutoris. Mediolani ex Ambrosiani Collegii typographia. 1632. fol. Binæ in quavis pagina columnæ numeris distinctæ. Vol. I. est col. 1423. II. 1518. III. 1676. IV. 1470. Præfationem excipiunt Addita et Correcta, foll. 10.

Cum brevi et ea permodesta præfatione defunctus sit auctor; haud multa nobis de hoc opere dicenda in promptu sunt. Qui de eo paucis retulit, in Baumgarten's Nachrichten von merkwürdigen Büchern, T. VI. pag. 16. Arabum lexica, unde hoc derivatum sit, magno numero commemorata esse affirmat. At neque multi fontes dicti sunt, neque omnes satis diserte, ut agnosci queant. Recitatibus præfationis verba: "quicquid Gieuhari, Hosein, Auctores libri Camus, et Tacrib Helmilgharaib, et Ectari variis voluminibus dispersum continent, hoc uno libro congestum habeas. His præterea accesserunt Bizauites, Gelali, et alii multi quorum commentariis usus sum, ne aliquid labori deesset." Proxime sequuntur hæc: "Prolegomena vero et prolixam historiam auctorum Arabum quibus usus sum hoc loco prætermisi, peculiari namque Opusculo reservata sunt." Opusculum hoc deinceps in lucem editum fuisse haud constat. Utimur libro, inscripto: Petri Pauli Boschæ bibliothecarii, ex sodalitio sacerdotum oblatorum, de origine, et statu Bibliothecæ Ambro-

sianæ Hemidecas (id vero est: libri quinque) Mediolani, 1672.  
 4. quem iterum edidit van der Aa in Græviano Thesauro Antiquitatum et Historiarum Italiæ, T. IX. P. VI. Giggeii passim, ut ferebat res ipsa, mentio facta, sed ne annum quidem, quo ille obiit, definite tradidit Boscha. Pag. 141 (ad ann. 1632. in quem incidit Thesauri arabici editio), ubi dictum, superesse ejusdem Giggeii volumen Gazæ Persicæ titulo, et Chaldaici quoque sermonis institutiones paratas fuisse, proxime legenda hæc: "His lucubrationibus typographi imminebant, cum mors sefellit consilium hominis, frustrata etiam spem Pontificis Maximi; etenim Urbanus Octavus eorum linguarum scientiam in Collegium propagandæ Fidei optans inducere, invitaverat mercede maxima Gigæum jam comparantem se ad iter, ac obsequenter Pontificis imperio. Hic fuit exitus viri doctissimi, qui ætatem suam omnem addixerauit sermonis peregrini studio, ac summo labore consecutus, tradiderat ratione facili ad discendum."

60. Dictionarium latino arabicum Davidis regis quo singulæ ab eo usurpatæ dictiones ita enunciantur, ut concordaniam psalmorum constituant, et grammaticam ac dictionaria latino - arabica suppleant: labore et diligentia *J. B. Duval*, regii linguarum orientalium interpretis. Parisiis. Excudebat Ant. Vitray ling. or. typographus regius, sumptibus auctoris. 1632. 4. pagg. 208.

Dictionarium est latino - arabicum, a quo absunt arabicæ voces dicendique formulæ omnes. Scilicet artificium omne in eo positum, ut ex Psalmorum editione arabico - latina, Romæ 1614 et 1619. 4. latinæ voces dictionesque omnes excerp-tæ, alphabetico ordine constituerentur, addito singulis psalmi et versus, quo extant, numero. Itaque primum locum occupat De utilitate hujus Dictionarii proœmium, pagg. 7. Excipit hoc Consilium arabicæ linguæ studiosis pro facilitiori

modo utendi Dictionario hoc Davidis regis, pagg. 2. "Qui recte itaque, inquit auctor, nostro hoc labore ac industria uti noverit, facilius reperiet quæcunque elegerit vocabula pro componenda epistola, vel etiam oratione integra .... Qua autem methodo id fieri possit (ut nos qui tam mirabile commentum ostentamus, etiam comiter ostendamus) finximus epistolam Davidis regis manu propria Bersabeæ scriptam, qua ei suos amores modeste detegit, dignitatem regiam tuetur, ac ut scripto respondeat, suadet. Ne itaque, eâ qua debuit reverentia, regias epistolas non accepisse aut videatur, aut argui possit Bersabea, fictam quoque ipsius nomine manuque exaratam, ac Davidi regi inscriptam damus, qua se timide excusat, et alias pulchriores se, et regis gratia magis dignas insinuat, tandemque se ab optimo principe nihil, quod non factu honestum sit expectare debere confidenter ostendit." — Sequuntur ipsæ epistolæ. Regiæ initium hoc:

49.<sup>12</sup>      24.<sup>13</sup>      53.      44.<sup>3</sup>      9.<sup>3</sup>  
 Pulchritudo tua placuit mihi præ pulchritudine omnium  
 mulierum. Arabica versio prodit hæc: حُسْنُكَ أَرْضَانِي عَلَى حُسْنِ حُسْنٍ جَمِيعِ الْمُسَاكِينِ  
 Dictionarium ipsum, pag. 1 — 179 expicit supplementum dictionarii regis e laudationibus quæ Davidicis psalmis annexæ, pag 181 — 203. Accedunt Notæ compendiariæ observatæ in Dictionario pag. 205 — 208. Ultimo loco veniunt Indices. Iidem illi sunt, quos in exemplo Psalterii arabico latini Romæ 1614. Viennensi deprehendit Alterus, teste Rosenmüller, Handbuch für die Literatur der biblischen Kritik und Exegese, T. III. pag. 51. Obiit Jo. Bapt. du Val anno 1634. vid. Colomesii Gallia Orientalis — Hagæ Comitis 1665. 4. pag. 161. Videtur singularis ingenii homo fuisse, qui rebus singularibus infrequentibusque maxime delectaretur.

61. Alphabetum arabicum. Romæ 1633: 12.  
 Sic Marsden refert, pag. 77 inter anonyma opera. At Celsius, Biblioth. Bremensis Novæ, Class. IV. pag. 420. "Ex typographeo S. Congregat. de Propag. Fide apud Zachariam Dominicum Acsamitek a Kronenfeld Alphabetum arabicum 1633 in folio aperto." Catalogus librorum qui ex typographio s. Congr. de P. F. variis linguis prodierunt, Romæ 1773. à editus Jo. Christ. Amadutio, tum præside typographiæ s. Congr. de P. F. in præfatione ab Amadutio scripta pag. 4. hæc offert: Conduxit Leo Aliatus anno 1655. pro re typographica exsequenda Zachariam Domin. Acsamitekium a Kronenfeld Boënum Pragensem, tunc temporis Impressorum omnium, qui Romæ erant, celeberrimum, atque ab eo habemus anno 1667 Elenchum librorum sive typis, sive impensis S. Congr. de P. F. impressorum, quem recusum offendes in Tractatu de nervis rerum gerendarum Romanæ ecclesiæ, qui præfigitur libro altero (sic) sane calumnioso, et invidiæ pleno Dorothei Asciani, sive Matthiæ Zimmermannii, cui titulus: Montes Pietatis Romanenses &c. Lipsiæ 1670. pag. 527 ad 533.

62. Fabrica overo Dictionario della lingua volgare arabica, et italiana, copioso de voci, et locutioni, con osservare la frase dell' una et dell' altra lingua. Raccolto dal P. Fra Domenico Germano de Silesia, dell' Ordine de Min. Osseru. Riformati sacerdote della provintia Romana. Romæ ex typograph. S. Congr. de P. F. 1636. 4. pagg. 102.

Inscriptio fallax; Dictionarii haud quidpiam exhibit liber; Grammatica est, et quasi prolusio et præcursio Dictiōnarii, brevi post editi, ann. 1639. fol. Præfationis, latine scriptæ, hoc exordium: "Fabricam linguae Arabicae hactenus incognitam nullibi, producturus in sennam, quae quidem, quemadmodum in praesentiarum est in vulgari stilo, ita quidem grammaticalí opi-

ficio luculenter dextre quibat expoliri: Existimabam perpetrare operae pretium, si saltem, veluti per transennam, hunc exiguum tractatum, qui (Introduttorio manuale della lingua Arabica volgare,) intitulatur: *praemitterem, quo structuram vastiorem, quea adhuc vagit in cunis propugnarem.* Et primâ quoque pagina hæc inscriptio cernitur: Introduttorio manuale della lingua Arabica volgare, diviso in tre parti, ò trattati. — Igitur non erat, cur Marsden, post traditum titulum: *Fabrica overo Dittionario .... Rom. 1636. 4.* poneret (quamquam præfixo signo † quod significat librum sibi haud visum) etiam hunc titulum: † EJ. *Introductory della lingua arabica volgare. P. F. Romæ 1636. 4.* Etiam Lelong lapsus, qui titulo recte tradito addit: *in folio. vid. num. 66.*

63. *Thomae Erpenii Grammatica arabica.* ab auctore emendata et aucta. Cui accedunt Locmanni fabulæ et adagia quædam Arabum. ab eodem auctore cum Latina versione pridem edita; at nunc vocalibus et notis orthographicis illustrata. Lugd. Bat. apud Joann. Maire. 1636. 4. pagg. 171. Sunt exempla, quæ habent: Amstelodami, typis Joannis Jansonii. 1636. et in extremo folio: Lugduni Batavorum, excudebat Wilhelmus Christiani, typis Joannis Jansonii. 1636.

De altera hac editione conf. Bibliothecæ arab. P. II. pag. 29. ubi ab ipso Golio curata esse justo confidentius dicitur. Celsius, in Historia etc. (Biblioth. Brem. Nov. Class. IV. pag. 409.) ab Antonio Deusing, Med. et Mathemat. professore academiæ Groning. curatam esse refert ex Effig. et Vitis Professorum Groningens. pag. 214.

64. *Thomae Erpenii rudimenta linguae arabicæ.* Accedunt ejusdem praxis grammatica; et consilium de studio Arabico feliciter instituendo. Lutetiæ Parisiorum, sumptibus societas typographicæ librorum officii ecclesiastici, jussu Regis constitutæ.

constitutæ. 1638. 8. In fine : Parisiis excudebat Antonius Vitray. pagg. 184.

Est repetita editio secunda (num. 56.) adhibitis Savaria-nis typis præstantissimis. Credibile est, typographicas ope-ras moderatum esse Gabr. Sionitam; etenim in Consilio ... nomen Val. Schindleri editum est: Scindleri.

65. Specimen arabicum quo exhibentur aliquot scripta arabica partim in prosa, partim ligata oratione composita, jam primum in Germania edita, versione latina donata, ana-lysi grammatica expedita, notisque necessariis illustrata. — omnia è cura M. Johannis Fabrici Dantiscani. Rostochi. 1638.  
4. pag. 235.

Extant in hoc libro 1. Dissertatio El - Herir (h. e. Haririi Consessus primus) pag. 1 — 72. 2. Carmen Abi El - Ula pag. 73 — 150. 3. Carmen Iben Phered pag. 151 — 159. 4. Ju-dicium de soluto dicendi genere Arabum proprio. 5. Coro-nis de poësi Arabum. Hisce accessit index vocum latinus. Haud pauca passim perperam tradita, veluti pag. 1 Hariri dicitur vixisse circa annum Christi 450. pag. 73 in inscriptio-ne carminis Abi'l Olæ editum: dixit — في منصب الهرم في سلسلة Saturday, pro حمد لله, modo laudationis. At duo præci-pua capita, primum et secundum, ab ipso Golio postmodum edita sunt. (vid. Biblioth. arab. P. II. pag. 35.)

66. Fabrica linguae arabicæ cum interpretatione latina, et Italica, accommodata ad usum linguae vulgaris, et scriptu-ralis. authore P. F. Dominico Germano, de Silesia, Ord. Min-de Obseru. Reform. Prou. Romanæ, et in Conuentu S. Petri, Montis Aurei, linguarum orientalium lectore. Romæ, typis S. Congr. de P. F. 1639. (In numero MDCCXXXIX, in

F

Baumgarten's Nachrichten, T. VII. pag. 404 erratum est, repetitum in Hirt's Bibliothek, T. III. pag. 51.)

Dictionarium pag. 1 — 1082 sequitur ordinem Italicarum vocum; italica, quibus latina adjuncta sunt, partem paginæ dextram occupant, sinistram arabica. Adest tamen index primo arabicus, deinde etiam, qui in Baumgartenii exemplo defuisse videtur, latinus. Præfatio eadem non modo italicæ et latine, sed arabice etiam scripta. Eam excipiunt Regulæ seu Observationes generales pro recto usu libri, italicæ primum, deinde latine. Sequitur introductio brevis ad lectionem sermonis arabici, scripta iterum italicæ, latine, immo etiam arabice. In calce positum immane agmen mendorum typographicorum. In conficiendo opere auctor, Thoma a Novaria magistro usus, et quatuor annorum spatio ipse in Oriente versatus, id potissimum spectasse se profitetur, ut Missionarios orientales juvaret in comparanda lingua arabica copia ad sermones cum indigenis habendos: cui consilio num bene illud respondeat, judicent alii. Celsii, in Histor. ling. et erudit. Arab. pag. 426 loc. cit. hæc sunt verba: (Ex typographeo S. Congr. de P. F. habemus) "Fabricam L. Ar. cum interp. Italia, Aut. Fr. Dominico Germano de Silesia 1639. fol. Fabrica piccola della lingua Arabica Volgare e Italiana del Menedemo (putem: Medesimo) autore. 1636. 4." At Fabrica piccola certe non est nisi illa, de qua dictum num. 62.

67. Breves arabicæ linguæ institutiones R. P. *Philippi Guadagnoli* Clerici regul. minorum Procuratoris generalis. Romæ. e typogr. S. Congr. de P. F. excudebat Joseph David Luna, Maronita. 1642. fol. pagg. 349.

Ex præfatione lubet hæc recitare: "Complures prodiere in lucem arabicæ linguæ institutiones, sed non universa congruae locutionis singulæ suscepere docenda, sed per partes; ut Tasrif (num. 43.) conjugationes verborum duntaxat, Ca-

phia (num. 39.) compendiosam brevitatem obscuritati conjunctam: super omnes autem copiosius noster P. Franciscus Martelottus (num. 52.) omnia est complexus, sed methodus philosophica quandam induxit prolixitatem. At nemo adhuc de metro doctrinam tradiderat: nec usum quemdam non spernendum Orientalium, grammaticæ regulis adversantem, annotaverat. Propterea has nostras institutiones, quanta licuit brevitate, collegimus, ut ab aliis prætermissa recenseremus: præcipue rationem et usum scribendi, cum sine vocalibus totæ offeruntur obtutui consonantes, quod est frequentissimum. Et satis necessarium erat advertere, cum Sacra Biblia jam nunc arabico idiomate hic cudantur, sub felicibus S. D. N. Urbani papæ VIII imperiis et auspiciis." — In opere ipso agitur 1) de iis, quæ sunt ad legendum et scribendum necessaria, 2) de partibus orationis, 3) de syntaxi, 4) de prosodia. Accedunt varia, ex genere poëtico: Carmen, cuius auctor fertur Ali; specimina Corani, ex 5 capitibus; alia, quorum auctor dicitur Ali (vid. Biblioth. Arab. P. II. pag. 9); versus cujusdem Gabrielis Maronitæ, in laudem S. Trinitatis; versus Sibyllini, quorum initiales litteræ hanc sententiam efficiunt: Jesus Christus Dei Filius Servator Crucis, arabice conversi hac ratione, ut ex primis litteris prodeat eadem sententia. (Latinos exhibet Guadagnoli Apologia pro christiana religione. Rom. 1631. 4. pag. 513. arabicos ejusd. pro christiana religione Responsio arabica, Rom. 1637. 4. pag. 1041.) De Guadagnolo vid. Niceron's Nachrichten — von S. J. Baumgarten. VII. T. 1753. pag. 333 sq.

\* 68. *Ravii, Christ. de scribendo lexico arabico dissertatio.*  
Ultrajecti 1643. 4.

Refert Lelong, et Catalogus librorum Jo. Jac. Schultensii,  
Lugd. Bat. 1780. pag. 529. num. 3520. et pag. 530. num. 3530.

\* 69. Fides et leges Mohammædis exhibitæ ex Alkorani manuscripto duplici, præmissis institutionibus arabicis auctore *Theodorito Hackspan*, ling. sanct. professore. Altdorffl. 1646.  
4. plagg. 13.

Quod in hac inscriptione primum habet locum, non est nisi accessio: in libro ipso primarium locum obtinent institutiones grammaticæ, et eæ quidem haud contemnendæ. Ut ne deesset materia exercitationis, addita sunt selecta ex Korano loca, cum versione latina inter lineas. “Visum est, lector benebole, inquit auctor, subjungere talia exempla, quæ faciunt ad analysin, ut nec dubio sit locus de punctis accuratissime adjectis; et præter hunc usum tibi constet liquido, quæ tandem sit illa fides, qui mores, quibus maxima fere orbis habitati pars misere decepta, Christianos despicit, atque ex omni occasione fatum Imperatori, Regibus, Principibus; servitutem Rebus publicis minatur.” — Typi arabici, ab omnibus aliis quos novimus diversi, sunt quidem satis distincti, sed facti ex designatione haud admodum concinna.

\* 70. Electa arabica h. e. characterum arabicorum typographiae Fincelianæ specimen in gratiam linguæ cultorum editum. Wittebergæ 1649. 4. plаг. I.

Editionem curavit *Jo. Ern. Gerhardus*. Singulæ paginæ duas tresve lineas arabicas exhibent, cum versione latina, et quidem sententias paucis vocibus absolutas, veluti: Initium sapientiæ Timor Domini.

71. Linguæ arabicæ σκιαγραφία, in gratiam φιλαναρολογίαντων edita Wittebergæ e typographia LL. orientalium Jobi Wilhelmi Fincelii. 1650. 4. plagg. 3.

Edidit idem *M. Jo. Ern. Gerhardus*, Coll. Phil. Adj. cuius nomen præfationi (Wittenberg. d. XVIII Febr. ann. 1650) subscriptum. Præfationem excipit specimen Lexici Harmoni-

ci. Grammatica finem habet pag na 15. ubi hæc: "Syntaxis cum Hebræorum Syntaxi fere coincidit." Lelong idem opusculum bis, mutato nomine, refert: Fincelii, Jo. Guill. Compendium linguæ arabicæ. 4. 1650. Gerhardi, Jo. Ern. Scigraphia linguæ arabicæ. 4. Erfurti 1650.

\* 72. Introductio brevis ad linguæ arabicæ rectam lectio-nem, qua insimul exhibetur specimen characterum arabico-rum e chalcographeo Jobi Wilhelmi Fincelii Wittebergen-sium, in gratiam linguæ hujus tyronum adornata ab *Andrea Sennerto*, P. P. 1650. 4. plag. 1.

Sunt exempla, quæ adjunctum habent Compendium lin-guæ arabicæ. Verum hoc Gerhardi est, quod modo descrip-simus, non Sennerti.

73. Arabicæ linguæ novæ, et methodicæ institutiones, non ad vulgaris duntaxat idiomatis, sed etiam ad grammaticæ doctrinalis intelligentiam, per annotationes in capitum appendicibus suffixas, accommodatæ. Authore F. Antonio ab *Aquila* ord. Min. S. Francisci strict. Obser. Theologo, atque in Collegio S. Petri montis aurei à S. Congreg. de Prop. Fide arabicæ linguæ deputato Lectore. Opus tum omnibus arabicæ linguæ studiosis, tum potissimum apostolicis viris, per Asiam et Africam fidem propagaturis, utile et necessarium. Romæ, typis S. Congr. de P. F. 1650. 8. pagg. 678.

Præfatio ad lectorem hæc habet: "Arabici idiomatis gram-maticæ, hue usque in lucem editæ, adeo prolixæ et difficiles sunt, ut absque magno labore, temporisque diuturnitate ad-disci vix possint; atque adeo multi meliorem huc usque in tradendis hujusmodi institutionibus methodum desiderarint. Quare hæc omnia mature perpendens, cum utriusque idioma-tis studio yiginti annorum spatio operam dedisse (quorum decem cum S. Congreg. propag. fidei jussu in orientalibus re-

gionibus in animarum salutem curandam consumpsisse) has breves institutiones componere decrevi" — Methodicas illas dicit auctor, at nobis nec distincte satis nec bene distribute scriptæ esse videntur.

74. *Juobi Golii Lexicon arabico-latinum*, contextum ex probatoriis orientis lexicographis. accedit index copiosissimus, qui lexici latino-arabici vicem explere possit. Lugduni Bat. typis Elseviriorum. prostant Amstelodami apud Joannem Janssonium. (in aliis: prostant Roterdami apud Arnoldum Laers.) 1653. fol.

Quemadmodum Giggejus (num. 59.) Phiruzabadium, ita Gieuharium Golius maxime secutus est, nec tamen inconsultis aliis fontibus compluribus. Et ad expeditum usum omnino convenientius est Golianum opus Giggeiano; unde factum esse videtur, ut hoc pauciores emtores haberet: exempla enim venalia etiam nunc præsto esse putem in Collegio Ambrosiano Mediolani. Honorifice quidem Golius in præfatione sua commemorat Thesaurum Giggeii, nec vero ipse videtur aliquam illius rationem habuisse. Editum enim opus respicienti accidere non poterat, quod Golio accidit, ut permultas, non modo singulas voces, sed radices etiam cum omni propagine, non videret, et justo loco referre negligeret. Multa igitur in serie ipsa desunt, et comparent demum in Appendice, col. 2775 — 2922. Quæ res nonnunquam intelligentiæ etiam fraudi fuit: veluti Jo. Dav. Michaelis (Versuch über die siebenzig Wochen Daniels. 1771. 8. pag. 43.) negavit, verbo ﴿ت﴾ uti linguam arabicam; quod Golium consulenti verbum suo loco, quo ipse illud requireret, se non offerret: at in Appendice deprehenditur, et fuit a Giggeo justa serie collocatum. Accedit illud quoque incommodum, quod per universum opus haud pauca sint minus emendate edita. "David

Clodius, celeberrimus Gisensium professor, curam gessit Lexici arabici a clariss. Golio conscripti et in fol. editi" verba sunt Jo. Conr. Zeltneri, pag. 45 libri, cuius exempla alia inscripta sunt: Correctorum in typographiis eruditorum centuria, speciminis loco collecta. Norinberg. 1716. alia sic: Theatrum virorum eruditorum qui speciatim typographiis laudabilem operam præstiterunt. Norimberg. 1720. 8. Illud unde sumtum sit, nobis haud constat, a Golio ipso nulla Clodii mentione facta. In præfatione autem hæc extant: "Cæterum de opera mea ac labore æquanimiter sentias rogo, benigne Lector, quamquam lente is processisse videatur, multis per caussas, tum privatas, tum publicas, sœpe interrupsus; cui tumultuario tamen modo quodam plerumque deproperatum fuisse" — De nova eaque auctiore operis sui editione consilium se agitare, jam mense Octobr. ann. 1654. significavit Golius Ed. Pocockio in litteris, quarum summam refert Twells in Pocockii vita, pag. 63. præmissa ejusdem Operibus Theologicis. Lond. 1740. fol.

Constat ex Commercio epistolico Uffenbachiano, quod Jo. Ge. Schelhorn edidit 1753 sq. 8. partibus quinque, Uffenbachium nactum fuisse exemplum libri, ab ipso Golio sua manu emendatum, auctumque accessionibus, (vid. illius litteræ ad Jo. Andr. Danzium, pag. 295. Part. II.) et inde, illo haud invito, Joh. Henr. Majum, filium, Giessensem, (P. I. pag. 172. 176. 179.) in suum exemplum derivasse, quæ essent a Golio mutata atque addita. (ib. pag. 339. 371.) Maji liber quanam sorte usus sit, incertum: vidimus librorum indicem, inscriptum: "Bibliotheca Münsteriana seu catalogus librorum -- — welche für baar Geld in dem Heilbronnischen Buchladen durch Straub verkauft werden. Heibronnæ 1747." in quo pag. 3. hæc: "Golii Lexicon arabicum. notas msptas ex Fibl. Uffenbachiana J. H. May adjecit. Lugd. Bat. 1653. 15 fl." Illud Golianum vero exemplum a Carolo Wirtembergiæ Duce

multo ære redemptum Francosurti ad Mœnum, honorificam nunc sedem habet in bibliotheca principali Stutgardiae. Foliо in fronte addito inscripta sunt hæc: "Hocce Golii Lexicon emi Lugduni Batavorum à Joh. Vivie Bibliopolà Sene, qui ipsius Golii manu correctum, illisque annotationibus, quæ in margine leguntur, auctum, et à se in Librorum Golii venditione (seu ut vulgo dicunt Auctione) olim coemptum et luc usque asservatum fuisse asserebat. Lugduni Batav. d. 16 Jan. 1711. Z. C. ab Uffenbach mpria. Ejus copiam feci Viro Celeb. atque Doctiss. Jo. Henr. Maio Fil. qui passim in scriptis suis elegantiss. mentionem facit. vid. Observat. Sacr. Tom. III. pag. 13 sq. 136." Golii ipsius manu scrip-ta esse, quæ calamo exarata cernuntur in hoc libro, nobis quidem, eam ex autographis ejusdem epistolis, quæ penes nos sunt, cognitam habentibus perspectum est atque exploratum. Liceat igitur nostram de libro sententiam exponere.

Anteriores libri chartæ, usque ad col. 52. calami vestigia nulla habent, iterum intacta omnia col. 172 — 207. col. 1428 — 1459. et col. 2771 usque ad finem. In reliquis lituræ, emendationes, accessiones haud paucæ. Scriptio tantum abest ut sit satis elegans, quod affirmavit Uffenbach in litteris ad Danzium, loc. cit. pag. 296. ut potius obscura et perplexa dicenda sit, quæ difficulter intelligatur. Emendationes potissimum versantur in notandis lapsibus vel scribentis vel typos componentis. Accessiones magni æstimandæ, sed sunt illæ, perpaucis exceptis, editæ in Appendice. Et Majo quidem hoc non videtur in mentem venisse. Etenim Observatt. sacr. libr. III. pag. 13 editionis secundæ, 1727. 8. hæc tradit: "Monile ex gemmis consertum ea voce (ئەن) denotari, lingua docet Arabica. Namque *charzon* Veneris non modo concham, ut Golius notat, sed omnes res, quæ inter se conjunctæ ordine atquæ connexæ sunt, designat, ut margaritas, sp̄ærulas vitreas, globulos rosarum, quemadmodum

ex



ex Gieuharidis diversis locis ad Lexici sui proprium exemplum Golius ipse observavit. Frui illo licuit mihi beneficio Gen-  
rosissimi UFFENBACHII, cui iste thesaurus contigit." Quæ  
Golius col. 696 voc. حُرْن Coll. calamo adscripsit, hæc sunt:  
"quæcunque res inter se ordine conjungi solent; ut margari-  
tæ, sphærulæ vitreæ, etc. et ita dicuntur res ejus formæ sive  
σφαγείδες (sic) aut similia, quibus viros capiunt et ad amores  
alliciunt fæminæ, ut philtra sunt. Vide Gi. in نِعْدَةٍ potius qui-  
bus conchis suspensi avertitur oculus malignus. amuletum,  
quod in primis pueris et puellis, etiam equis et camelis de col-  
lo suspenditur contra oculi maligni noxam. vid. Ca. in وَدْعَهُ et  
Ca. in لَبَّا." Summam rei dedit, Append. col. 2809. his ver-  
bis: حُرْن sphærula vitrea et res omnis similis: pet. quæ appen-  
ditur corpori ad avertendam maligni oculi noxam. Gi. — Quod  
autem attinet ad Maji "globulos rosarum", Golius vere scrip-  
sit hæc: "حُرْنَاتُ الْمَسْوَدَةِ, globuli rosarii. Gi. in حَلَّةٍ."  
Hoc neglexit in Appendicem referre; adest enim suo loco  
حَلَّةٍ, rosario ad precandum usus fuit. Altero loco, pag.  
146. Maji verba sunt: "De altero Arabum themate *gada* no-  
tandum, non modo significare illud liberalem esse et benefi-  
cum, sed etiam largiter terram rigare pluvia, ut Golius ipse  
in notis MSS. ad Lexicon suum ex Camuso notavit." Golius  
col. 552 verbis Effusus in lachrymas fuit *oculus* Ca. adscripsit  
hæc: "Trans. et largiter *terram* rigavit *pluvia* *cca.* Ca. in بَيْغٍ."  
Has ipsas voces vide editas in Append. col. 2795.

Nobis igitur de hoc libro Goliano sic videtur. Certum  
est, non esse ejusmodi exemplum, quod inde ab absoluta  
editione auctor quotidiano usu tereret atque, ut res et occa-  
sio ferret, expoliret. Inter edendum statim accessere, cala-  
mo quæ sunt expressa. Golii enim lexicon, qui probe cogni-

tum habuerit, persuaderi sibi haud patietur, universum opus ante elaboratum fuisse, quam typis illud describendi initium fieret. Sed ut procederent operæ typographicæ, auctor quoque in conscribendo progrediebatur. Itaque, quotiescumque se offerret in fontibus, unde omnia hauriebantur, aliquid antea non observatum, in charta jam excusa suo illud loco adscripsit auctor, ut in Appendicem, si quid in excuso minus rectum conspiceretur, notavit ut in Corrigendorum indicem posset referri: quamquam et in Appendice et in Indice plura sunt, calamo non adscripta. Ex hujusmodi chartis recognitis contextum est, de quo agimus, volumen, receptis etiam, ubi recognitæ se subduxissent, chartis aliis iisque intactis. Folium signatum Z2 (col. 340 – 344) excusum, at lituris et mutationibus totum opertum, rejectum igitur est et aliter excusum. Folium quoque, signatum Cc, excusum quidem, sed in multis ab illo, quod in vulgatis exemplis certinatur, diversum. Folio, signato Tt, superne adscriptum: "hoc folium mutandum", sed mutatum non fuisse, comprobat vulgatum exemplum, quod in omnibus mendis typographicis cum illo conspirat.

Sane igitur non est, ut permultum adjumenti ex hoc volume Goliano petere possit, qui novam lexici editionem parare voluerit; quod ut tandem aliquando eveniat, non possunt non, quicunque litteris arabicis bene cupiunt, in votis habere. Optabile vero et hoc, ut qui ad istam operam accesserit, in promtu habeat arabicos fontes ipsos, saltim Gieuharii et Firuzabadi opera, ex quibus Golianum lexicon subinde sit emendandum. Rem uno loco declarabimus. Golii, col.

400. hæc sunt: "قَدْ F. O. i. q. جَعْ, intelligens fuit. Ca." At decipi se passus est Golius negligentiore sui codicis scriptione جَعْ pro جَعْ. In nostro libro distinete cernitur جَعْ قَدْ. Igitur لَجْ est, Inconsiderate aliquid fecit.

*Theses ad Zacharie prophetae  
Visionem quartam  
cap. III.*

## I.

Vers. 1 Josua pontifex videtur displicuisse populo, qui suspicaretur, in eo culpam esse, quod minus succresceret instaurata respublica.

## II.

Vers. 2 וַיֹּאמֶר מֶלֶךְ יְהוָה וַיֹּאמֶר יְהוָה dictum pro quod, quæ diceret legatus Jehovæ, ipsius Jehovæ jussu et nomine pronuntiaret.

## III.

Vers. 4 qui dicuntur העם רִאשׁוֹן sunt sacerdotes Iosuae pontificis gregales.

## IV.

Vers. 5 loco efferendum נִאָמֵר, et dixit idem legatus etiam haec.

## V.

Vers. 7 omnino statuendum, apodosin incipere verbis וְגַם אַתָּה, hoc enim requirit atque imperat pronomen אתה.

## V.

Vers. 7 dictum pro מהלכים 7 ducentes. Sensus: faciam, ut tibi sint nati, qui et ipsi sint duces atque antistes inter illos, qui praesto sunt, sacerdotes.

## VI.

Vers. 8, אַנְשֵׁי מִוּפָת, *homines prodigiū s. prodigiorum*, etenim nomen *mīvāt* sine articulo est collectivum, sunt illi, quorum erat, prodigium, si quod editum esset, judicare atque exponere. Sic אַנְשֵׁי סִכְרָר sunt qui versantur in libris, אַנְשֵׁי מַלְחָמָה, in bello qui versantur. Dicit autem sacerdotes Jehova אַנְשֵׁי מִוּפָת ea propter, quod in eo esset, ut propone-ret illis מִוּפָת שְׁבֻעָה עִנּוּם, saxum in quo cernerentur.

## VII.

צָמָח est proventus, reditus, prosperitas terræ, ut Gen. 19, 25. Ezech. 16, 7. Dicitur poëtice יְהוָה, quod sit quasi minister Jehovæ, qui non nisi missus a domino possit comparere, et præsentem se comprobare.

## VIII.

Vers. 9, עִנּוּם non fontes, in saxo enim his locus non est, sed oculi sunt saxo insculpti. Saxum imago templi, mox perficiendi. Septem, h. e. plures, oculi significant Jehovæ oculos, vigilantiam et in promovendo opere providam curam.

## IX.

Vers. 9 pro וְמִשְׁתֵּה acceptius וְמִשְׁתֵּה, a טְשֵׁשׁ, arab. شَشْ, abstersit. Sensus idem, qui est verborum Haggai, 2, 19. abhinc benedicam.

## X.

Vers. 10 non potest nisi de ubertate terræ, rerumque affluentia, locis undique tutis, brevi nunc locum habitura intelligi, coll. 1 Reg. 5, 5. Esai. 36, 16. Mich. 4, 4.









D: De 50

sb

ULB Halle  
000 867 101

3/1



